

# **Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 92**

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Noverit tam presentium fidelium nostrorum industria quam et eorum ex toto posteritas futura, qualiter Megenharius sancte Herveldensis aecclesiae venerabilis abbas maiestatem nostram adiit ac secum precepta domni Ottonis primi imperatoris augusti detulit informata secundum edicta Karoli imperatoris augusti, qui eundem locum primus construxit, in quibus detinebatur, ut in rebus ad suprascriptam aecclesiam pertinentibus nullus episcopus missusve suus neque iudex publicus neque missi nostri mansionaticum exigant aut aliquid vi abstrahere presumant nemoque episcoporum aut archidiaconorum monachos ibidem deo servientes lege canonica tangere presumat; et quandocumque abbas eorum hac luce migraverit, abbatem inter se elegendi licentiam habeant; quod si inter eos dignus non potest inveniri, undecumque velint abbatem sibi conducere potestatem habeant; et ut nullus hanc constitutionem infringere presumat; ordinaciones Mogontinus archiepiscopus absque munusculo faciat et tabulas benedicat; et si in ipso monasterio aliqua discordia evenerit, tunc ipse abbas et monachi abbatem de alio monasterio et episcopum sibi coniungant seque pacifcent; quod si ibi non possint, tunc ad sinodum nostram veniant; nosque eadem ret renovare et nostra auctoritate corroborare postulavit. Cuius iuste ac racionabili pie annuentes petitioni, divine remuneracionis inmarcescibile premium certa spe exspectantes ab antecessoribus nostris regibus et imperatoribus ad nos usque deducta confirmavimus, confirmando precepimus, ut supradictus abbas eiusque successores prenominatae aecclesiae res adquisitas seu iuste adquirendas libere ac potestative possideant et damnum ac quovis temerario ausu sibi inlatum minime senciant. Et ut hec nostre confirmationis auctoritas stabilts et involuta omni permaneat evo, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus. Signum domni Heinrici tertii regis invictissimi Eberhardus cancellarius advicem Bardonis archicancellarii recognovi. Data V. kal. aug. inductione VIII, anno domini incarnationis millesimo XL, anno vero domni Heinrici tercii ordinacionis IXIII, regni autem II; actum Eskenewage; feliciter amen.